

eis porrigemus, & dum equalis fortune nobis fuerint, si libuerit, pugnabimus cum eis, sic vero ut nunc sint, non solum non impugnabimus, sed adiutorium prestabimus. Et misit Dux humanissimus de Sylva Buccenis, vulgariter Schwartzwald, quadringentos fortes, & laboriosos rusticos in Basileam, ut expurgarent suo nomine integrum vicum a ponte Rheni, usque ad forum granarium, qui vicus dicitur, vicus ferri, Ifengass, & manserunt viri illi Basileæ in labore illo expurgationis & deportationis ruinarum in Rhenum ad multos dies in expensis Ducis Austriae.

Hafelbachius in Chron. Aufst. MS. Lib. 3. pag. 253. Anno vero Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto Basiliensis civitas ex gravissimo terre motu quasi funditus corruit (cujus indicia usque apparent in multis locis, ab hoc die usque ad tempus generalis concilii anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo primo iniciati, & anno quadragésimo octavo dissoluti plenarie) in quo & turris cum campanis Ecclesie cathedralis corruit ad Rheni profundum, cujus muri hodie videntur sub aquis in argumentum veritatis, ceciderunt denique fere omnes Ecclesie ejus, & castra per girum, que usque manent desolata. cum casu domorum irrupit ignis vehemens, qui ædificia cuncta voravit lignea ustioni adaptata. audivi a Basiliensibus, dum ibi degerem, quod prefatus Albertus tunc in Alsacia degens per suos stimulatus, quatenus Basileam sue vendicaret ditioni, pro qua diutius desudasset. respondisset. Absit hoc a me, ut plagatos a Deo, meis plagis afficiam, ne bis punitionem in idipsum subeant, & addam afflictionem afflictis.

Ad Annum MCCCLVIII.

A De Sponsalibus Margaritæ filie vide infra cap. 7. ad eundem annum.

Epitaphium Alberto positum ad me misit Leopoldus Wydeman toties laudatus:

Anno Domini MCCCLVIII. XIII. Kal. Augusti obiit Illustris, animosus, & sapiens Princeps Dominus Albertus quondam Dux Austriae, Stryie, & Carinthie, Dominus Carniole, Marchie, & Portus Naonis, Comes in Habsburg & in Kyburg, Landgravius superioris Alsacie, nec non dominus Ferretarum, genitor Illustrium Principum dominorum Rudolphi, Friderici, Alberti & Leupoldi, ducum Katharine, & Margarete, & sepultus in Gemnico Monasterio sue fundacionis ordinis Cartusienfis in hoc sacro fago requiescit. Additque idem religiosissimus amicus meus: Epitaphia Serenissimorum pie memorie fundatorum nostrorum in pariete Ecclesie super Stalla Monachorum, aureis literis sculpta sunt in molli lapide nigro colore obducto, cujus latitudo est 3 pedum & 7 pollicum, altitudo unius pedis, octo pollicum & dimidii. Scriptum videtur primis post mortem annis. Ejus & sepulchri imaginem vide in fine operis.

Ibidem in Codice MS. Henrici Kalckar Cartusiani de ortu & decursu ordinis Cartus.

Anno Domini Millesimo CCCXXXIII. II. Idus Augusti Illustris Princeps Albertus, Dux Austriae, Stryie, Carinthie &c. Monasterii hujus lapidem primarium in fundamento locavit.

obiit autem idem generosus Princeps & Dominus Anno Domini MCCCLVIII. XIII. Kalend. Augusti, in Habsburg quidem natus, hic vero corporaliter tumulatus.

De hoc codice ita ad me scripsit idem Wydemannus 1717. 21. Augusti. Codicis anno 1398. compositi, & anno 1445. descripti, auctor est Henricus Kalckar Cartusianus in tractatu de ortu & decursu ordinis nostri. Si quaeras (nomen enim scriptoris & ætatem petiveram) cur auctorem non ab initio citaverim, hanc do rationem. Auctor varias, variarum Cartusiarum retulit origines, & tandem post alias ultimo loco ea verba de nostra Cartusia scripsit, quæ tibi communicavi, illisque relatis in sua narratione pergit ulterius. Hinc orta mihi suspicio, an auctor ipse, vel ille, qui descripsit, illa immiscuerit. Si auctoris propria sunt verba, utique maximam merebuntur fidem, & auctor tuto (in duobus exemplaribus enim Gemnicensibus verba illa habentur) allegari poterit. Si autem descriptor ex se addidit, etiam merebuntur fidem, quia a trecentis (prope) annis scripta fuerunt. Sed auctor citari non posset, nisi cum addito, uti opus in Gemnicensibus exemplaribus invenitur --- habet uterque codex, uti scripsi, illam de Cartusie nostræ prævisionem iisdem verbis, sed codex unus juxta me antiquior, aliter concludit librum, quam alter, dum unus annum compositi libri una cum annis ætatis, & professionis sacræ ipsiusmet auctoris reticeret, quem recentior addit, unde colligo opus ab auctore aliquando revisum, correctum, & tandem illi ultimam manum esse appositam Anno 1398. quamvis vixerit usque an annum 1408. quo obiisse certum teneo ex Charta Capituli generalis.

De visione porro, quæ sacri hujus asceterii erectionem præsignabat, ita loquitur Kalckar in Chron. MS. cit. Domus Throni Mariæ solemnissima inter omnes domos Cartusienfum per præfagium illud sanctum facta est, quod quidam rustici viderunt sæpissime ibi multa lumina ardere, cujus ædificationem Diabolus in principio impedire conabatur per incendium maximum. Dein capitularis chartæ cujus ipse hic meminit, auctoritas a me quoque explicanda est Viri ejusdem eruditissimi verbis in epistola Anno 1716. Cal. Aprilis. Ad quorum verborum intellectum (si forte nescias, quæ sit ordinis nostri praxis) te notare velim uti olim, ita nunc, annue in Capitulo generali, quod annis singulis hebdomada quinta post pascha celebratur, denuntiari Septuagesimam anni sequentis, exinde sequi, & legi obitus tum fratrum, tum benefactorum nostrorum, qui illo anno, id est ab uno capitulo usque ad aliud obierunt, ubi sciendum, illos qui tribus aut quatuor primis anni mensibus moriuntur, eodem ipso anno in Charta contineri, reliquos vero, qui posterioribus anni mensibus obeunt, necessario ad alterius, sive sequentis anni chartam differri. Nomina igitur omnium fundatorum, ac benefactorum referuntur in Chartam, ejusque exemplar unum ad singulas ordinis domos mittitur, unde cum omnino contemporaneæ sint, non nisi maxima quæque fides iis habenda est.